

426 * **QUERES. VIII.** In quas penas incidat pessimus calumniator, qui innocuos Confessarios apud Ecclesiasticos Judices falso sollicitationis insimulat? Resp. quod idem Bened. XIV. in cit. Bulla Sacramentum Pœnitentiæ volens honori, ac innocentie Sacerdotum consulere, decrevit ut quæcumque persona hujusmodi flagitio (falsæ calumnie) se inquinaverit, vel per se ipsum innocuos Confessarios impie calumniando, vel scelestè procurando, ut id ab aliis fiat, excepto mortis articulo, non possit absolvi à quocumque Sacerdote, quovis privilegio, auctoritate, & dignitate munito, præterquam à Summo Pontifice.

427 * Unde talis pessimus calumniator incidit in peccatum mortale gravissimum, citrà cen-

suram aliquam Summo Pontifici reservatam. Et licet aliqui negent tale peccatum posse absolvi à Confessario inferiori vi Bullæ Cruciatæ, & Jubilæi, oppositum videtur commuæ, & probabilius. Salm. (a) docent, hanc reservationem in terminis Benedictinæ Constitution. non incurri ab eo, qui non influit efficaciter in calumniosam denuntiationem: nec ab eo, qui persuasionem ante denuntiationem efficaciter revocavit, nec quando denuntiatio re ipsâ non sequitur, nec denique à falso denuntiante in alia materia à crimine sollicitationis: quia de hoc tantum loquitur præsens dispositio: quæ utpote odiosa non debet extendi. Circa hujus casus absolutionem vide dict. tract. præced. §. IX. nùm. 363.

(a) In Append. tract. 6. ubi à nùm. 231.

[Faint mirrored text from the reverse side of the page, likely bleed-through from the next page.]

TRATADO VII.

DE CONFESSARIO COMPLICE.

428 * **SS.** D. N. Benedictus XIV. cupiens omnem prorsus occasionem nefariæ sollicitationis eliminare, & puritati, ac decori Sacri Tribunalis, seu judicii sacramentalis consulere, omnemque ab illo turpitudinem summovere, sic in re præsentis prudentissimè disposuit per suam Constitutionem incipientem Sacramentum Pœnitentiæ, editam anno 1741.

Auctoritate Apostolica, & nostræ potestatis plenitudine interdicens, & prohibemus ne aliquis eorum (Sacerdotum) extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personæ complicitis in peccato turpi, atque inhonesto contra sextum Decalogi præceptum commisso, excipere audeat: sublata propterea illi ipsa jure quacumque auctoritate, & jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam, aded quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla, atque irrita omninò sit: & nihilominus si quis Confessarius secus facere ausus fuerit, majoris quoque excommunicationis pœnam, à qua absolvendi potestatem nobis solis, nostrisque successoribus dumtaxat reservamus, ipso facto incurrat. Declarantes etiam, & decernentes, quod nec etiam in vi cujuscumque Jubilæi, aut etiam Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ, aut alterius cujuslibet indulti, confessionem dicti complicitis hujusmodi quisquam valeat excipere, eique sacramentalem absolutionem elargiri.

429 * Quia tamen super intelligentia præadductæ dispositionis, qua parte respicit articulum mortis, variæ, & graves subortæ fuere difficultates, ne lex tam salubris incertis conjecturis, & opinionibus jactata, in sensus à mente Pontificia alienos forsitan distraheretur, idem SS. Benedictus per suum Breve (Apostolici muneris 8. Februarii 1745.) declaravit ut sequitur.

Edicimus, ac declaramus eadem Constitutione singulis, ut supra, Sacerdotibus, quemadmodum interdictum non est in mortis articulo personam in prædicto turpi peccato complicem confitentem, atque ab hujusmodi quoque culpa ritè contritam absolvere, deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit; ita inter-

dici re ipsa, & prohiberi prædicto modo tunc audire, & absolvere, ut si alius aliquis Sacerdos non defecerit, etiam si forte iste alius simplex tantummodo Sacerdos fuerit, sive aliàs ad confessiones audiendas non approbatus, possit nihilominus ipse Sacerdos simplex confessionem excipere, ac absolutionem impertiri &c.

§. I.

Expediuntur aliqua dubia super genuina intelligentia harum Constitutionum.

430 * **D**UBITABIS I. Quid hic veniat nomine personæ complicis, quam non potest Confessarius absolvere? Pro resolutione nota, quod complicitas peccati de rigore sermonis nihil est aliud quam plurium in eodem crimine associatio, sive ejusdem criminis participatio. Et est triplex: Formalis, materialis, & denominativa. Complicitas formalis tunc datur, quando uterque posuit actum externum peccaminosum, & uterque revera liberè consentit in peccatum, ita ut actus ille externus, in quo complices participant, sit peccatum formale ex parte utriusque. Tunc datur complicitas materialis, quando licet uterque posuerit actum externum, ex parte amborum, vel alterius defecit advertentia, & consensus, ita ut neuter formaliter peccaverit, vel solum fuerit peccatum formale ex parte unius. Complicitas denique denominativa tunc datur, quando ille qui fuit formaliter complex, jam ab illo peccato fuit directè

absolutus, ita ut peccatum illud non amplius sit materia necessaria confessionis. Ita, & quidem optimè N. Sanz (in sua expositione litterali præsentis Bullæ, num. 95.) cum quo.

431 * Dico ad dubium: Nominè personæ complicis in proposito non venit persona illa, quæ solum est materialiter, vel denominativè complex, sed solum illa quæ est complex formaliter, sive interim sit vir, sive foemina, dummodò habeat peccatum mortale contra sextum Decalogi præceptum, cum ipso Confessario commissum, & in ipsa confessione necessario aperiendum. Ita omnes infra citandi. Dixi sive vir sit, sive foemina, quia præsens dispositio universaliter loquitur de persona complice.

432 Prob. I. resolutionis pars. Quia complex solum materialiter, vel denominativè talis propriè, & simpliciter non est complex, sicut nec dicitur peccator, sed tantum ampliando nomen, & latissimè: verba autem Bullæ debent intelligi secundum propriam, & obviam illorum significationem, præsertim cum simus in odiosis: ergo. Probo II. partem. Quia complex formaliter verè, & propriè

priè dicitur participans ejusdem peccati turpis, quantum ad mixtum, ex interno, & externo, ac subinde verè, & propriè dicitur complex in peccato turpi, atque inhonesto contra sextum Decalogi præceptum commissio, ut loquitur Benedictina Constitutio.

433 * Ex dictis sequitur, quod non potest Confessarius complex suam complicem venereum sacramentaliter in his sequentibus casibus audire. I. Etiam si poenitens complex accedat de suo peccato contritus, & per veram contritionem extra Sacramentum justificatus. II. Etsi poenitens usque adhuc peccatum bona malave fide ex verecundia, timore, vel alia causa, in confessionibus antecedentibus omiserit. III. Etsi poenitens peccaverit in juvenili ætate cum Confessario, & antequam ipse factus fuisset Sacerdos, imò, & ante tempora præsentis Constitutionis. Ita Sanz, Diaz Bravo, & omnes, quia peccatum illud in his casibus est materia necessaria confessionis.

434 * Accedit Decretum Sacræ Romanæ Poenitentiariæ (7. Februarii 1755.) quo declaratur, sub Benedictina Constitutione comprehendendi casus sequentes. I. Quando peccatum commissum non fuit operis consummati, sed mortale in tactibus, osculis, aut verbis gravi-

ter impudicis consistens. II. Quando peccatum turpe commissum fuerit cum Confessario antequam iste fuisset Sacerdos. III. Quando peccatum commissum fuit in juvenili ætate, & complex poenitens præ verecundia semper illud in confessione reticuit. IV. Quando complex non ex verecundia, sed ex oblivione illud peccatum non fuisset confessâ, & ad conspectum Confessarii complicitas illius peccati tunc primo recordata. Ità apud Fidelem del Valle Capuccinum, (in Opusc. super Constitutionem præsentem, ubi fol. mihi 21. affert litteraliter Decretum.)

435 * Notandum tamen hic, & quidem valdè est, quod tametsi deficiente quocumque ex capite complicitate formali, jam absolutio complicis non esset invalida ex defectu jurisdictionis, ut concedunt omnes, colligiturque expressè ex doctrina S. Thomæ (a); tamen poenitentem, qui cum Confessario in materia præsertim turpi aliquo modò peccavit, apud ipsum illius peccati confessionem deponere, valdè semper periculosum, & indecens est. Quare monendi sunt poenitentes, ut sibi semper alium Confessarium quærant. Ubi autem necessitas ad eundem accedendi eos urget, tum peccatum illud, quod cum eo, vel ejus occasione com-

(a) Ap. Poutas, in Diction. verb. Confessarius. 1. casu 9.

misserunt, quod jam alias ritè confessum, hic supponimus, penitèntiis prætermittant, aut minimè nominent: sic enim conveniens esse videtur ad amovendam omnem prorsus turpitudinis occasionem, & ad alios fines præsentium Constitutionum. Quod de poenitentibus monimus, id omninò Confessarios ipsos majori titulo oportet ut observent.

436 * DUBITABIS II. *Quale sit peccatum complicitatis in præadducta Constitutione comprehensum?* Ex dictis sufficienter constat, peccatum turpe, & inhonestum, de quo procedit præsens inhibitiò, non esse peccatum purè internum; quia hoc non potest esse objectum complicitatis, & aliundè non est contra sextum, sed contra nonum Decalogi præceptum. Constat etiam nec comprehendi peccatum contra sextum, si sit purè materiale, & externum: tunc enim deest complicitas formalis ut diximus. Unde peccatum illud apud omnes debet esse mixtum ex interno, & externo. Difficultas ergo solum est de aliis ejusdem peccati qualitatibus.

437 * Dico I. peccatum complicitatis contra sextum, de quo loquitur præsens Constitutio, est peccatum mortale, minimè verò veniale. Ità omnes communiter. Probat I. quia, ut discurrit N. Sanz, peccatum veniale sive leve, est materia voluntaria, & non valdè periculosa, nec in

Constitutionibus Synodalibus, ad quarum instar fuit facta hæc universalis prohibitiò, comprehenditur peccatum nisi sit mortale, & externum. II. Quia licet, innegabile sit posse Pontificem inhibere Confessarium, ne absolvat à venialibus; in proposito tamen inutilis esset talis inhibitiò; tùm quia sine illorum manifestatione potest absolutio sacramentalis obtineri; tum quia alia via illorum venia posset impetrari.

438 * Ex resolutione inferitur. I. non comprehendi peccatum luxuriæ, quando est indubiè veniale, sive hoc fiat ex defectu plenæ advertentiæ, & de liberationis, vel ex parvitate materiæ, si fortè datur in verbis turpibus, gestibus, & hujusmodi: ita rursus omnes, & ratio patet ex dictis.

439 * Inferitur II. quod si prudenter dubitetur, an peccatum illud cum complice commissum fuerit necne mortale ex parte alterius, vel utriusque, distinguendum est: nam vel sermo fit de dubio *speciei, vel confessionis*, & sic peccatum dubium apud omnes sub Benedictina Constitutione comprehenditur; quia peccatum sic dubium remanet peccatum mortale certum: vel sermo fit de peccato dubio, dubio *facti, vel gravitatis*: & tunc negativam partem sustinent Appendix Salmant, Larraga illustratus, Fidelis del

del Valle, Diaz, Bravo, & Ezquerro, quia reservatio est odiosa, & strictè interpretanda. Inclinat etiam Sanz, licet absolutè resolvat.

440 * Ast, cum inhibitiò præsens, licet poenalis, sit in hac parte favorabilis, nec propriè reservatio, ac proindè juxta hujus principia non debet hic procedi, mihi distinguendum est, & dicendum: quod si peccatum mortale sit dubium *dubio facti*, potest Confessarius poenitentem complicem sacramentalitè audire, & si ponat debitam materiam absolvere; non verò si peccatum sit dubium *dubio solummodò gravitatis*. Ratio primæ partis est, quia *facta non præsumuntur, nisi probentur*, ut probat Tuschus (a); unde debent facta constare, ut aliquid operentur. II. pars patet. Quia cum jam de peccato constet, dubitans de peccati gravitate, consequenter dubitaret de illius Confessarii approbatione.

441 * Accedit, quod materia luxuriæ est de se valdè lubrica, secumque fert mentem obnubilare. Unde gravitas in his peccatis semper est difficilis discretionis, ac proinde facilè esset falli, ubi credere dulce est. Dicta procedunt in casu dubii, quia si certo probabiliter judicat, non fuisse commissum peccatum mor-

tale; nunc non habet locum difficultas præsens, & debet casus resolvi juxta principia probabilitatis.

442 * Inferitur III. Quod si peccatum illud complicitatis fuit internè grave, & externè leve, quatenus nimirum malitia illa interior solummodò per signum indubiè leve fuit externata ex parte alterius, vel utriusque, tunc potest Confessarius complicem audire & absolvere. Ita supra citati, & probatur; quia peccatum in hoc casu non est mutuo grave, tam interiùs, quàm exteriùs: undè licet sit peccatum grave contra castitatem, non est grave contra sextum Decalogi præceptum. Dixi *per signum indubiè leve*, quia si signum illud de se leve, fiat hic, & nunc grave in linea luxuriæ ratione periculi, aut alterius circumstantiæ, vel si de hoc dubitetur, tunc non poterit absolvere.

443 * Sed quæres: quid si peccatum illud intra genus luxuriæ indubiè leve, fiat grave contra aliam virtutem; v. gr. contra Religionem ratione loci, temporis, scandali, &c.? Respondeo. Quod si illud peccatum fiat grave, quia commissum in actu sacramentalis confessionis, vel ejus occasione, aut prætextu, &c., tunc non potest absolvere, quia in hoc casu invenitur finis, & ratio

præ-

præsentis Constitutionis: & ubi eadem est ratio, eadem debet esse juris dispositio. Ità Sanz. Si autem illud peccatum fiat grave absque respectu ad occasionem confessionis, ut puta, quia commissum in loco sacro, quia coram aliis, qui scandalum passi fuerunt, & hujusmodi, tunc iudico non comprehendit, quia peccatum illud nec pugnat eum Sacramenti decore, nec est grave contra sextum Decalogi præceptum, ut supponitur.

444 * Dico II. Omnia peccata mortalia contra sextum Decalogi præceptum, etiamsi non sint consummata, sunt peccata complicitatis in Benedictina Constitutione comprehensa. Ità omnes contra Didacum Gonzalez Mattheo (a), ubi asserit in prædicta Constitutione solum comprehendit peccata mortalia externa consummata in genere moris, ut sunt copula, tam fornicaria, quam sodomitica, & tandem actus libidinosi, quando ad ipsos sequitur pollutio, non verò quando hæc non sequitur.

445 * Sed hæc sententia omnibus displicet, nec est ultra practicabilis, utpotè quæ habet contra se duas declarationes. Prima est Sacræ Pœnitentiariæ Apostolicæ 7 Februarii 1755 in qua

proposito dubio: *An Confessarius possit absolvere complicem, quando peccatum turpe non fuit operis consummati, sed mortale in tactibus, osculis, aut verbis graviter impudicis consistens?* Responsum fuit, in hoc casu: *Non posse pœnitentem à Confessario complice absolvi.* Ità apud Fidelem del Valle citatum. Secunda est Sacr. Congregationis Concilii. 30 Augusti, in qua ad simile dubium ab Illustrissimo D. D. Petro Copons, Archiepiscopo Tarraconensi propositum responsum fuit, ipsomet Legislatore Benedicto scilicet XIV. consulto: *Benedictinam Constitutionem nedum crimen perfectæ libidinis, ut vocant, sed etiam oscula libidinosæ, & quoscumque libidinosos tactus per sextum Decalogi præceptum sub gravi vetitos comprehendere,* ut testatur Illustrissimus ipse apud Diaz Bravo (b), quas declarationes certè non vidit citat. Gonz. nam si vidisset quomodo vir pius & doctus, & laxitatis aliunde inimicus, taliter resolvisset.

446 * Probatur jam ratione nostra resolutio. I. Quia tactus, oscula, &c. citra pollutionem & copulam, sive fornicariam, sive sodomiticam, licet sint peccata incompleta in specie libidinis perfectæ, sunt completa in specie impudicitæ, quæ est species specia-

cialissima luxuriæ, consistens in voluntaria occupatione potentiarum circa provocantia ad libidinem, voluptatis gratia, ut explicat N. Sabinus Bononiensis. II. Quia lex generaliter, & indefinite loquens, debet extendi ad omnes actus, qui sub proprio ejus significato, continentur; hujusmodi autem est præadducta Constitutio, in qua comprehenditur indefinite peccatum contra sextum Decalogi præceptum. Nec dicas, quod odia restringi, favores verò convenit ampliari per regulam 15 Juris in 6. nam solutio supponit falsum, nimirum Constitutionem in hac parte esse odiosam, cum potius è contra sit in hac parte favorabilis: ut optimè probat Sanz & Diaz Bravo, undè non debet restringi.

447 * III. Dato quod sit pœnalis, in materia quantumvis odiosa & pœnali, non receditur à proprietate verborum, ut docent omnes. At quis dicat, peccatum omne luxuriæ grave, & externum, non esse simpliciter peccatum contra sextum Decalogi præceptum? IV. Finis primarius prædictæ Constitutionis est periculis animarum obviare, & omnem sacrilegæ turpitudinis occasionem à Sacramento Pœnitentiæ remove; sed in qualibet impudicitia mortali externa subsistit hic finis, quia data facultate complicem absolvendi, difficilius

facilius, & absque pudoris fræno committerentur, & tandem in periculum proximum sollicitationis in Sacramento redundarent. Ergo. Denique opposita sententia falso supposito procedit, quæ supponit enim, præsentem inhabilitationem esse reservationem, quod est falsum, ut patebit ex dicendis immediate.

448 * DUBITABILIS III. *An hæc inhibitiō Pontifici sit reservatio peccati complicitatis?* Aliqui ex Auctoribus, qui nobiscum in præcedenti resolutione conveniunt, concedunt inhibitionem præsentem esse reservationem, non quidem regularem, & simplicem, sed extraordinariam, & qualificatam: & quæ valdè, alios habet effectus, quam reservatio communis. Alii per oppositum negant esse reservationem, contendentes, potius esse inhabilitationem relatè ad pœnitentem complicem in illo casu.

449 * Dico ad dubium; hæc prohibitiō Pontifici ne aliquis Sacerdos confessionem Sacramentalem personæ complicitatis in peccato venero excipere laudeat, non est reservatio, sed negatio totius approbationis, & jurisdictionis, seu potius positiva reprobatio erga personam sicut complicem. Ità Sanz, cum quo breviter probatur resolutio. Ex ipsamet Constitutione. §. *Declarantes*, ubi declarando Confessarium complicem inhabilem esse in virtute

(a) In Sum. Moralit, tract. 25. §. 21. (b) In suo Confessario instructo, secundæ editionis, punct. 15. num. 120.

cujusvis indulti, etiam Jubilæi, & Cruciatæ, hæc redditur ratio: Cum ad hunc effectum, & in hoc casu, nullus Confessarius, utpotè qui in hujusmodi peccati, & pœnitentis genere, jurisdictione, ut præfertur, careat, & absolventi facultate à Nobis privatus existat, habendus sit pro Confessario legitimo & approbato. Quid clarius?

450 * H. Quia præsens inhibitio facta est ad instar illarum, quæ jam sæpe factæ fuere per statuta Synodalia; sed inhibitio facta circa subjectam materiam in statutis Synodalibus, non est reservatio, sed potius Confessarii positiva reprobatio, ita ut sit intelligibilis per facultatem eligendi Confessarium approbatum, ut testantur plures apud citatum: ergo.

451 * Deniquè, quia reservatio, licèt limitet Confessarii jurisdictionem circa aliqua peccata, integram relinquit circa alia; immò, & per se loquendo, in ipsam tendit pœnitentis personam, in cujus pœnâ præcisè ponitur, & ut subeat onus se præsentandi coram Superiore, vel illius delegato. In proposito autem inhibitio præsens non tam est facta in pœnâ pœnitentis, cui relinquitur integra facultas recurrendi ad quemlibet alium Confessarium etiam non privilegium, sed in pœnâ Confessarii, cui adimitur facultas audiendi confessionem illius pœnitentis. Undè Confessarius in hac

parte respectu complicitis pœnitentis non est habendus tanquam Confessarius, sed potius tanquam Sacerdos simplex, immò, & deterioris conditionis.

452 * Dices: Ex hac doctrina sequitur, nec posse Confessarium audire confessionem sui complicitis, quando peccatum illud complicitatis fuit indubiè veniale: quia confessio venialium inhibita est Sacerdoti simplici per Decretum Innocentii XI. Resp. negando sequelam & paritatem. Quia in Decreto Innocentii fit sermo de Sacerdote simpliciter, & absolute comparativè ad pœnitentem non approbato: hoc enim intelligitur nomine Sacerdotis simplicis. In proposito verò fit sermo de Sacerdote Confessario, seu jam aliunde approbato, & qui solum reprobatur in casu, quo pœnitens habeat peccatum complicitatis: à quo hic, & nunc opus habet sacramentaliter absolvi, ut patet ex verbis Bullæ *Ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa* (complicitatis) *absolvendam*. Undè, cum à peccato indubiè veniali non opus habeat pœnitens sacramentaliter absolvi, hinc in casu venialium non censetur Confessarius ille tanquam nudus, & simplex Sacerdos, quin adhuc remanet approbatus.

453 * Ex nostra resolutione sequitur I. Quod in præsentia materia non possunt emergentes casus resolvi juxta principia reser-

vationis. Undè non potest pœnitens à Confessario complice absolvi, quando ab illo ignoratur hæc præsens inhibitio, quando confessus cum altero Confessario oblitus fuit invincibiliter peccati complicitatis, & universaliter in omnibus illis casibus, in quibus Auctores juxta principia reservationis discurrendo, concedunt, habentem peccatum reservatum posse absolvi saltem indirectè à Confessario non habente facultatem. Ità citat. Sanz, & Diaz Bravo. Quidquid enim sit, an ista, & his similia, locum habeant in casu reservationis, minimè tamen locum habent in casu non approbationis, seu positivæ reprobationis Confessarii; ut in præsentia.

454 * Sequitur II. Confessarium complicem, durante complicitate formali, non retinere jurisdictionem in peccata alia, adhuc venialia pœnitentis, quia respectu illius in illo casu est positivè reprobatus, & minus quam si foret simplex Sacerdos. Undè, adhuc in casibus infamiæ, damni gravis, & moralis necessitatis, non potest Confessarius confessionem sui complicitis audire absolviendo nimirum directè à venialibus, vel mortalibus alias ritè confessis, & indirectè à peccato venereo complicitatis, & ab alio mortali, si tunc adsit. Ità Sanz, Ferriz, Lárraga, Diaz Bravo, & communis. Et ratio est: quia in

dictis casibus non potest absolutio adhuc indirecta obtineri, recurrendo ad Sacerdotem simplicem, & ad audiendas confessiones non approbatum: ergo minus recurrendo ad Sacerdotem complicem, qui respectu illius pœnitentis est positivè reprobatus.

455 * Sequitur III. Quod nec adhuc in casu, in quo ex una parte urgeat præceptum, & necessitas confessionis, & ex alia sequerentur infamiæ, vel scandalum, si confessio exciperetur ab alio quam à complice, posset iste suum complicem à peccato complicitatis absolvere indirectè. Ità citati. Et licèt oppositum teneant Salmanticens. in *Append. tract. 6. núm. 262.* citando pro se Doctorem Acedo, nostra, & communis sententia tutior est & probabilior, ac proinde in præsentia sequenda. I. Quia tunc casus non valeret absolutio indirecta, si tantum esset simplex Sacerdos: undè sicut in hoc casu deberet alio modo provideri, sic in proposito. II. Quia absolutio indirecta non potest salvari, quin Confessarius habeat aliquam jurisdictionem, si non in omnia, saltem in aliqua peccata, in personam pœnitentis; in casu autem complicitatis formalis, Confessarius omnimoda jurisdictione caret, tam in peccata, quam in pœnitentis personam: ut patet ex illis verbis Bullæ *Sublata illi ipso jure quacumque auctoritate,*

jurisdictione ad qualemcumque personam &c. ; undè quælibet absolutio in hoc casu non solum erit illicita, sed insuper invalida, ut potè absque omni prorsus jurisdictione impertita.

456 * Sequitur IV. Confessarium complicem nedum non posse poenitentem complicem absolvere, sed neque istius confessionem Sacramentalem audire. Tum, quia utrumque prohibetur expressè in Bulla, tum, quia cum confessio fiat propter absolutionem, qui non potest absolvere, nec potest confessionem excipere.

457 * Sequitur V. Invalidam ac subindè illicitam esse absolutionem à Confessario complice, impertitam, etiam si sit tempore Jubilæi, vel Cruciatæ, vel alterius privilegii. I. Quia Constitutio *Sacramentum Pœnitentiæ* expressè derogat his, & omnibus privilegiis, quantum ad articulum absolvendi poenitentem complicem. II. Quia in Bulla Cruciatæ, Jubilæo, & similibus indultis solum datur facultas poenitenti eligendi Confessarium approbatum: & hujusmodi non est Confessarius complex ut patet, tum ex Constitutione ipsa, tum ex aliis duabus ejusdem Pontificis, quarum I. incipit *Convocatis*, II. vero *Inter præteritos*, quæ expeditæ fuerunt occasione Jubilæi anno 1750 celebrati.

458 * Sequitur denique, solummodò posse Confessarium complicem confessionem sui com-

plicis audire, ipsumque validè & licitè absolvere in casu extremæ necessitatis, nimirum in articulo mortis ipsius poenitentis; sed quia hoc etiam conceditur certis quibusdam cum limitationibus omnino attendendis, idè sit:

§. II.

Quomodò se gerere debeat Confessarius complex in articulo mortis sui poenitents.

459 * Licet articulus, & periculum mortis re ipsa distinguantur, nihilominus quantum ad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ pro eodem ab Auctoribus communiter accipiuntur. Undè complex valens suum complicem in articulo mortis absolvere, potest absolvere pariter in omnibus illis casibus, in quibus prudenter judicatur proximum imminere mortis, vel perpetuæ amentis periculum: & generaliter, quando quis debet ex præcepto divino ad proximam, vel valdè imminentem mortem se disponere, recipiendò Eucharistiam per modum Viatici: quia in omnibus his reputatur moraliter articulus mortis. Difficultas est, quando possit vel non complex in articulo mortis absolvere suum complicem.

460 * Dico I. Ut Sacerdos complex possit validè, & licitè suum complicem in articulo mor-

tis

tis absolvere, debet tunc deficere quicumque alius Sacerdos, qui Confessarii munus obire possit. Nomine autem Sacerdotis, qui Confessarii munus tunc casus possit obire, intelligitur etiam simplex Sacerdos, & nullibi ad audiendas confessiones approbatus. I. Resolutionis pars constat ex Bulla *Sacramentum Pœnitentiæ*: II. Ex Bulla declaratoria *Apostolici muneris*.

461 * Ex dictis infertur I. quod licet in articulo mortis Sacerdos approbatus sit utique præferendus Sacerdoti simplici; in casu complicitatis Sacerdos simplex est præferendus approbato complice. Utrum autem approbatus in aliena Diocesi, sit etiam præferendus Sacerdoti simplici Diaz Bravo consulit, & jure, approbatum in aliena Diocesi fore præferendum, quia præsumitur expertior & habilior.

462 * Infertur II. quod in eodem mortis articulo potest Sacerdos complex confessionem sui complicis audire, ipsumque absolvere sequentibus in casibus. I. Quando necessitas confessionis urget, & non est alius Sacerdos in loco. II. Quando necessitas ita urget, ut alter Sacerdos non possit opportunè accedere, in quo casu non est scrupulosè procedendum, ne poenitens fortè decedat absque absolutionis beneficio.

463 * Sed quæres: quid si, alio Sacerdote absente, complex

excipiat confessionem, & jam confessione incepta, accedat alius Sacerdos? Didacus Gonzalez Mattheo docet, quod debet tunc casus Confessarius complex à tali confessione cessare, monendo poenitentem, ut integrè confiteatur cum Confessario tunc accedente, nisi in tali cessatione aliqua suboritura sit infamiæ nota, vel nericulum non integrè confitendi propter defectum temporis, & urgentiam morbi. Diaz Bravo, Fidelis del Valle, & Ezquerro per oppositum sustinent, posse complicem in illo casu confessionem prosequi & perficere.

464 * Illud tamen certum est, quod si poenitens, expleta confessione, recordetur alicujus peccati complicitatis, jam, etiam perseverante eodem mortis periculo, non poterit amplius cum prædicto complice confiteri. Licet etenim illud peccatum fuerit indirectè remissum ratione absolutionis directè in alia peccata, tunc casus confessa remanent adhuc materia necessaria confessionis, ac proinde remanet complicitas formalis, & non potest complex poenitentem absolvere in conspectu alterius Sacerdotis, qui munus Confessarii obire possit.

465 * Dico II. Si absque gravi infamia, vel scandalo nequeat alius Sacerdos evocari, vel licet sit præsens, non possit sine dicta infamia, vel scandalo confessionem audire, validè, & licitè quit